

Urocriterium brevibus thesibus exhibitum ... / praeside Georg Balthasare Metzgero ... publicae disquisitioni submittit Jacobus Hafenreffer ... ad diem 19. Octobr. ... M DC LXXVII.

Contributors

Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Hafenreffer, Jakob, active 1676-1677.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Johann-Henrici Reisii, [1677]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vbfqwwq4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

UROCRITERIUM
BREVIBUS THESISIBUS
EXHIBITUM,

Sub

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,
DOMINI

LUDOVICI,

Ducis Wirtembergiæ & Tecciæ, Co-
mitis Mompelgardi, Dynastæ in Hei-
denheim, &c.

RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO,

Ex

Decreto & Autoritate Amplissima & Gratiſſa

Facultatis Medica, in Illuſtri EBERHARDINA,

P R Æ S I D E

DN. GEORG-BALTHASARE METZGERO,
Medicinæ Doct. Prax. Anatom. & Botan.

P. P. h. t. Facultatis DECANO.

Pro Summis in Facultate Medica Honoribus

ac Privilegiis Doctoralibus

ſolenniter ac legitimè conſequendis,

Publicæ diſquiſitioni ſubmittit

JACOBUS HAFENREFFER, Micro-Saxenhem.

Horis locog, conſuetis

Ad Diem 19. Octobr.

ANNO ACADEMIÆ JUBILÆO SECUNDO,
M DC LXXVII.

T U B I N G Æ,

Typis JOHANN. HENRICI REISL.

VIRIS
MAXIME REVERENDIS, DI-
GNISSIMIS ATQUE EXCELLENTIS-
SIMIS,

DN. JOH. CONRADO ZEL-
LERO, DUCATUS WÜRTEMB. Superioris
Tractûs Generali Superintendenti Dexterri-
mo, Ordinum Provincialium Seniori & Præ-
fidi, ut & Præsuli Bebenhusano Dignissimo.

DN. CHRISTOPHORO Wölfflin /
SS. Theol. Doct. Famigeratissimo, SERENISS.
DUCI WÜRTEMB. à Concionibus Aulicis, &
Confessionibus Sacris, Consistorii Ducalis As-
fessori, nec non Laureatensium Abbati Di-
gnissimo.

DN. LAURENTIO Schmidlin / Illu-
stris Consistorii Ecclesiastici Assessori Gravissi-
mo, Præsuli Herren-Albæ Dignissimo, nec
non Diœceseos Stuttgardia Speciali Superin-
tendenti Vigilantissimo.

DNN. Mæcenatibus, Patronis, Promotoribus atq; Cognatis quovis submissionis cultu venerandis,


THESES HASCE INAUGURALES

*In ulteriorem sui recommendationem, perpetuâq; observantiâ
argumentum*

Offert & consecrat

Humilimus Client

JACOBUS HAFENREFFER.



B. C. D.

A Nimus erat, Benevole Lector, raram de DIABETE materiam loco INAUGURALIS DISPUTATIONIS sub incudem vocare; temporis verò angustia exclusus, breves Theses de URINA ejusque symptomatibus & *φαινομένους* nonnullis, materia priori affini nec minus utili, promiscuè, ut vides, collectas substituere coactus sum: has ut benignè inter preteris bonique consulas, decenter rogo.

THESIS I.

URINA, tripus ille Apollinis apud vulgus, humor corporis nostri excrementitius est, per certas vias, s. n. in vesica, ceu cisterna humana, ut excernatur suo tempore, confluens.

II.

Non incongruè distingui videtur secundum *Johann. Baptistam Helmontium de sextup. digest.* in urinam potûs & cruoris.

III.

Pabulum suum non ex potulentis solum & alimentis sed & ex aëre habet.

IV.

Cujus coctionis soboles sit, litigium inter *Da.* grave extat: alii primam, secundam alii, alii tertiam nominant. In sano ego sensu ad omnem referri posse crediderim.

V.

Augetur quidem ad quantitatem potus & liquidorum, horum tamen quantitati exactè nunquam respondet s. nat.

VI.

Modus generationis non malè secundum nonnullos in confectione lixivii artificialis patere creditur, undè naturale etiam his lixivium consuetè audit.

VII.

Color naturalis & sanus citrinus est in urina cruoris.

VIII.

Hic procedit à sale & sulphure succi nutritii & sanguinis inter coquendum dissolutis, & sero incoctis secundum *Willisium cap. 2. de urin.*

IX.

Derivatur secundum receptam opinionem per arterias emulgentes cum sanguine ad renes, non horum tractione, sed, qua it sanguis, cordis pulsione.

X.

Hujusque separationem à sanguine coagulum à capsulis atrabilariis adfluens probabiliter juvat.

XI.

Vias ad renes in potatoribus strenuis aliisque sub acidularum usu citam & copiosam potus facientibus urinam *Th. Bartholinus de lact. thor. cap. 9.* monstrat.

XII.

XII.

Omnem tamen urinam per renes ire multa diffundere videntur dubia, quorum partem Curiosissimus *Dn. Joh. Daniel Major diss. de ærumn. gigant. in negot. sanit. §. penult. recenset.*

XIII.

Interim ductus novos sub caliginosa natura nocte adhuc tegit. Idem prælaudatus *Author* obscuros huc usque ureteres succenturiatos nondum inventos suspectos habet.

XIV.

Sedimentum album, in pueris præsertim & voracioribus aliis, chylus veriùs dicitur, quàm pituita; unde in sanis subindè etiam deprehenditur, & diætæ correctione tollitur.

XV.

Cruenta, purulenta, urina nemini non visâ; rarior pilorum mictio: hanc fieri tamen posse non dubito.

XVI.

Et si vermes sæpius cum urina emictos experientia doceat, catulos tamen in hydrophobia emingi omnem fidem superat.

XVII.

Quod apud Pontificios est purgatorium, hoc apud Medicos est uromantia; secund. *Paulum Ammanum paranes. ad disc. circa instit. med. emendat.* Rationes ipse *Author* adducit l. 3. p. 1. S. 3. cap. 1.

XVIII.

Judicia tamen & indicia ex urina sola de morbis sumpta non nisi dubia, fallacia, plerumque temeraria, sæpè nulla.

XIX.

Vixque nisi in febribus & vitiis viarum urinaria-
rum certi quid sperare ex hac possumus.

XX.

Imò nec semper in febribus tutò huic fidere pos-
sumus.

XXI.

Visa sæpè optima, qua colorem, consistentiam,
contenta, optima non est.

XXII.

Sed quò major subindè in febribus malignis ur-
get malignitatis vehementia, eò minus uroscopiæ fi-
dendum.

XXIII.

Urinâ enim bonâ, pulsu bonò, æger moritur.

XXIV.

Varias quidem *De* hujus rei rationes fingunt, sed
vel cum experientia pugnantes, vel tamen insufficien-
tes hætenus prolatas putamus.

XXV.

Incerta etiam hecticorum urina.

XXVI.

Pellucida & alba in phreniticis utique mala *ex 4.*
aph. 72. talem autem ob flavæ bilis ad caput raptum
fieri *Galenus in comment.* minus rectè conjicit.

XXVII.

Nigræ interdum etiam salutare.

XXVIII.

Urinæ suppressio, quæ septimum excedit diem,
non necessariò lethalis.

XXIX.

Supprimitur nonnunquam propter renum para-
lysin,

XXX.

XXX.

Interdum ob vasorum emulgentium nimiam repletionem, quæ V. S. solvitur.

XXXI.

Aliàs diuretica conveniunt, quæ etiam non præmissis universalibus, contra communem, interdum locum habent.

XXXII.

Imò cum per diuresin etiam universaliter corpus evacuari possit, uti per purgantia; cur universalibus non annumerentur diuretica, non video.

XXXIII.

Incontinentia ad auditum lyræ sonum excitata in *Ephem. natur. Curios. ad annum 1, observ. 134.* ad imaginationem referenda videtur.

XXXIV.

Diabetis seu hydropis ad matulam causa non tam in renibus, secundum modernos, quærenda quam in ventriculo putatur.

XXXV.

Ut enim ille in lienteria cibum, ita hîc potum non mutatum transmittit.

XXXVI.

Cur validâ in hac ægri afficiantur fiti, facilis datur ratio; ob sc. humidum justo copiosius faucibus subtractum.

XXXVII.

Eandem ferè ob causam corporis sequitur contabescencia, quia cum materia potulenta vel succi corporis alibiles simul excernuntur, vel suô destitutæ vehiculô sufficienter partibus adfluere non possunt.

XXXVIII.

Si vera est historia & causa quædam naturalis danda, quam ex *Gattinaria* habet *Cardanus l. 8. de rer. variet.*

c. 44. de puella jam nubili, quæ profusissimum patiebatur eumque quotidianum urinæ defluxum integros sexaginta dies, ad libras circiter triginta sex, cibo & potu vix septem libras facientibus, subsidium rei aliquod ex aëre humidiori peti posse nonnulli persuasi sunt; sed an sufficiat, valdè dubito.

XXXIX.

Vasorum tamen lacteorum nimia laxitas humori subito transfluente multum indulgere videtur.

XL.

Cujus fortè intuitu in curatione diabetis medicamenta ex arte parata admiratione dignas exercent vires, tam internè quàm externè adhibita.

F I N I S.

